

aegritudo ex ejus, qui carus fuerit, interitu acerbo. *Moeror*, aegritudo flebilis. *Aerumna*, aegritudo laboriosa. *Dolor*, aegritudo crucians. *Lamentatio*, aegritudo cum ejulatu. *Sollicitudo*, aegritudo cum cogitatione. *Molestia*, aegritudo permanens. *Afflictio*, aegritudo cum vexatione corporis. *Desperatio*, aegritudo sine ulla rerum exspectatione meliorum. Quae autem subjecta sunt sub metu, ea sic definiunt: *Pigritiam*, metum consequentis laboris. *Pudorem*... terrorem, metum concutientem, ex quo fit, ut pudorem rubor, terrorem pallor et tremor, et dentium crepitus consequatur; *Timorem* metum mali appropinquantis; *Pavorem*, metum mentem loco moventem; ex quo illud Ennii:

*Tum pavor sapientiam omnem mi exanimato expectorat.*  
*Exanminationem*, metum subsequentem, et quasi comitem pavoris; *Conturbationem*, metum excutientem cogitata;  
*Formidinem*, metum permanentem.

Cap. IX. Voluptatis autem partes hoc modo describunt, ut *Malivolentia* sit voluptas ex malo alterius sine emolumento suo; *Delectatio*, voluptas suavitate auditus animum deleniens. Et, qualis est haec aurum, tales sunt oculorum, et tacti-  
onum, et odorationum, et saporum: quae sunt omnes unius generis, ad perfundendum animum tanquam illaquefactae volup-  
tates. *Jactatio* est voluptas gestiens, et se efferens insolentius. Quae autem libidini subjecta sunt, ea sic definiuntur, ut *Ira* sit libido poenitendi ejus, qui videatur laesisse injuria; *Excandescientia* autem sit ira nascens, et modo existens, quæ θύμωσις Graece dicitur; *Odium*, ira inveterata; *Inimicitia*, ira ulciscendi tempus observans; *Discordia*, ira acerbior intimo odio et corde concepta; *Indigentia*, libido inexplebilis; *Desiderium* libido ejus, qui nondum adsit, videndi. Distinguunt etiam illud, ut sit libido earum rerum, quae dicuntur de quodam, aut quibusdam: quae κατηγορήματα dialectici appellant; ut habere divitias, capere honores. *Indigentia*, rerum ipsarum est, ut honorum, ut pecuniae.